

C. 151.

M

PROLVSIO
DE
TEMPLO HERODIS M
AD AGGAEI II. 10. ET IOSEPH. A. I. XV. EXTR.
Q V A
AD
DECLAMATIVNCVLAS V
IN
SCHOLA THOMANA
A. D. XXI. APRILIS H. IX.
AVDIENDAS
PATRONOS ET FAVTORES
INVITAT
RECTOR
I O. A V G. E R N E S T I



PROPTER

ИМЕНИОВРГОДИС М

ИМЕНИОВРГОДИС М

АБД

АБД

ДЕСЛАМАЛУМОВА

АМАНОНГАЛОНОЗ

АМАНОНГАЛОНОЗ

АМАНОНГАЛОНОЗ

СИСТУА ТІ РОЙЯТАТ

СИСТУА

СИСТУА

ДЕСЛАМАЛУМОВА



C. D.



Vere profecto et eleganter Siculus ille Diodorus (Lib. I. init.) in ceteris historiae laudibus etiam hoc ponit, ut eam quandam quasi *metropolin vniuersae Philosophiae* appellet, non modo huius, quae hodie vulgo dicitur, sed eius, quae omni rerum diuinarum humanarumque, omnium magnarum disciplinarum scientia continetur. Nam profecto nulla proponendum est doctrina, quae, si se satis norit, aut grata esse velit, non cogatur fateri, se historiae non modo commoda et ornamenta plurima, sed vitam adeo ipsam debere, eique quasi colonico quodam iure obstrictam teneri. Scilicet, ut hoc se debere quandam coloniae existimabant metropoli quaeque sua, ut eam parentis in modum reuerentur, et colerent, cui omnia se debere scirent, legatos quotannis in eam mitterent, sacra ibi facturos, Pontifices ab ea acciperent, eius Legatis

A 2

tis

IV

tis primum in conuentibus publicis locum tribuerent, et, si quan-
do aliam coloniam vellent deducere, eius ducem ab illa peterent^{a)}:
sic disciplinae eae, quae maxime ab historia deriuatae sunt, de-
bent primum agnoscere origines suas; non se ἀντοχοῦσας, vt
quondam Athenienses, h. e. a nulla alia ortas, ex se natas, ia-
ctare; non arrogantes et improbos homines imitari, quos cum
fortuna diuitiis, honoribus, longe supra parentes extulit, pu-
dere parentum incipit, vt eos agnoscere nolint; eius porro veluti
sacra, leges, conseruare, ea duce in rebus magnis vti. Atque
id adeo debent facere studiosius, cum experientia satis docue-
rit, omnes illas disciplinas ad interitum ruere, cum primum ea
vincula, quibus historiae, matri, adstrictae sint, rumpere, et se
ἀμύτορας facere coeperint. Nam profecto omnis illa barbaries,
qua disciplinae omnes per tot secula obscuratae atque deletae ia-
cuerunt, nulla alia ex re nata est, quam e contemtu historiae,
earumque linguarum, quarum scientia continetur. Quid? cum
tandem pertaesum esset tenebrarum illarum, et orto lucis deside-
rio, barbarie depellendae cupidio iniecta esset hominibus, nonne
ab historia petenda auxilia fuerunt, faciendumque id, quod co-
loniae quondam fecissent, vt, cum ignis facer, qui e metropoli
adlatus in Prytaneo arderet, casu quodam esset extinctus, non
aliunde, quam e Prytaneo metropoleos suae repeteretur. Quo mag-
is arbitror esse eorum, qui bonis literis docendis tuendisque
praesint, in tempore imbuere animos iuuenium iis opinibus, vt
de natura disciplinarum omnium recte sentiant, existimentque, in
iis sine historia, multisque literis, effici praeclari nihil posse. Atque
his talibus opinionibus imbutos se ostendent iuuenes quinque, qui,
cum ad disciplinarum maiorum studium accedere in animo ha-
beant, ante, quam ex hac Thomana disciplina discedant, de scien-
tia

a) Vid. collecta Vales. ad Excerpt. Peiresc. p. 8. vnde repetiere Hud. ad Thucyd. I, 25. Spanh. de V. et P. N. Diff. IX. 3.

tia disciplinarum historica dicent. Eorum nomina, eo, quo di-
cturi sunt, ordine subiecimus.

CHRISTIANVS FRIDERICVS HOFMANNVS

D V B E N E N S I S

JOHANNES GOTHOFREDVS REVSMANNVS

S C H L E I Z E N S

HENRICVS FRIDERICVS INNOCENTIVS APELIUS

L I P S I E N S

IOHANNES GOTHOFREDVS BAVMANNVS

W O L K E N S T E I N

CHRISTIANVS FRIDERICVS MITTENZWEY

C O L D I C I E N S

Ad quos benigne audiendos vt tempore dicto conuenire velint,
qui bonas literas et bona ingenia amant, quod commodo ipso-
rum fiat, etiam atque etiam rogamus.

Sed historia, quam maiorum disciplinarum studiosis atque
magistris commendatum esse volumus, plurimum refert, quomo-
do vel discatur, vel tradatur. Neque enim nos commendamus
iuuentuti, aut tradimus eam, quae insit in commemoratione rerum,
in vulgaribus libellis obuiarum, quae mulierculis aptior est, quam
eruditis hominibus, neque opus magistro erudito habet; sed quae
per linguarum scientiam e fontibus ipsis ducta sit, et rursus ad
ipso fontes adducat, amore ipsorum inieeto, et facultate ex iis
hauriendi adiuta. Quod fit, cum aliis rebus, tum diligentia ex-
planandae consuetudinis loquendi, qua historici in rebus traden-
dis vtuntur. Id nisi fit, aut coeca fide arripient a quolibet nar-
rata, aut difficultatibus quibusdam irretiti, se expedire nullo mo-

VI

do poterunt. *Eius rei cum permulta exempla sunt, tum etiam illud, cuius memoria mihi renouata est nuper, cum in Tacito recensendo ad illustrem illum locum de rebus Iudaicis, temploque Hierosolymitanō venissem, in eoque subinde Iosephus comparandus esset, itemque ante paucos dies, cum in Schola Thomana catholicae historiae elementa enarrans, ad locum de instaurato per Zorobabelem templo delatus, ostenderem, quanta vis aduersus Iudeos esset in noto Aggæi vaticinio.* Scilicet, magna difficultas oblata est permultis in loco Iosephi, de Herodis M. munificentia aduersus templum Hierosolymitanum; quem, admirandum est, quam interdum vexent; qui eum aut consentaneum vaticinio Aggæi, de templo secundo, efficere velint, aut ab eo diserepare sibi persuaserint. Nam alii aut partem tantum aedificatam statuunt, aut instaurationem et ex ornationem tantum maiorem factam esse; praesertim in interiori parte, quae חיכל Hebraic dicitur, veriti, ne non alterum templum relinquatur, si omnia, imprimisque חיכל, destructa dicantur, alii, Graece doctiores, cum videant, non satis commode ita intelligi Iosephum posse, aut fidem eius in hac quoque parte dubiam faciunt, aut, si eo non descendunt, tamen, dum conciliare eum cum Aggæo conantur, se laborare indicant. Omnis supra ceteros infelix scriptor est Iosephus, praeter meritum suum, cum ob elegantiam sit optima fortuna dignissimus. Per pauci sunt, qui eum uno tenore iusta cum diligentia legant; pauciores, qui tantum hebraice, graece, latineque (nam has tres linguis teneri, recte volebat Casaubonus) sciant, ut eum satis intelligere possint, ne ex eorum quidem numero, qui vel maxime, propter disciplinae suae professionem, debebant. Ceterum, ut de quoque eius loco quaestio aut controversia incidit, ita quisque, inspecto illo loco, vel e versione, vel, si plus sapiat, e Graecis, ope Lexici triobolaris adiutus, fortiter de eo in utramvis partem iudicat. *Quamquam in hoc se consolari possit Iosephus, ipso-*

ipsorum sacrorum librorum fortuna, qui non aliter vulgo ab iis tractantur, qui eorum se interpretes ferunt. Ego quidem spero, me hac scriptiuncula effecturum, primo, ut nemo dubitare possit, Herodem templum totum a fundamentis aedificasse, destructio per partes vetere: deinde, ut appareat, ex consuetudine loquendi historica, omninoque populari, templum illud nihilominus secundum et fuisse, et recte appellatum esse.

Ac primum studiosos velim animaduertere, Iosephum distinguere perpetuo νεών τῷ Θεῷ, seu ναὸν, et περιβόλῳ. Ναὸς est aedes, **היכל**, τὸ τέμενος vel τεμένισμα alias vocatur, eoque sensu id verbum plerumque et in libris sacris dicitur. Περιβόλος, quem male latinus interpres *ambitum* interpretatur, paullo melius interdum *septum*, cuius quippe usum praestabant ὡς περιβόλοι, fuit *porticus*, *basilica*, **אָרֶל**, πρόναος Iosephus aliquo loco vocat interiorem: eratque triplex, ut docet Iosephus: unus extremo ἵερον fine: alter, qui peregrinos arceret, tertius intra quem ara et ναὸς, qui et πρόναος dicitur, prohiberetque aditu omnes, qui sacerdotes non essent. Horum περιβόλων ratio et usus debet cognitus esse, si nolis falsa imaginari in multis N. T. locis, ubi et ipsi ἵερον nomine veniunt, sicut apud Iosephum quoque interiores ita appellantur XV. II. 5. Nempe in his περιβόλοις non modo erant σοὶ, in quibus stare homines, precandi causa, disseverare inter se de rebus diuinis, etiam docere periti folerent; sed etiam oeci multi et magni, in quibus Doctores legis erudirent discipulos, scholasque haberent: idque in primis intelligendum de medio. In tali oeco Christum inter Doctores reperere parentes, Christus ipse, quamquam et in porticibus (sicut Graeci philosophi in porticibus Gymnasiorum) docuit, Apostoli, Christo in coelum sublato, precandi causâ conuentus egere, Spiritum Sanctum, die Pentecostes coelo missum accepere, etc.^b) Tales

oeci

b) videant tirones, et quibus opus est, Lud. de Dieu Critic. Sacr. ad Acto. I, 13.

VIII

oeci etiam apud Graecos ναὸς adiuncti: qualis fuit ille Iouis Olympii ὀπισθόδομος, in quo Herodotus historiam suam primum publicauit, auctore Luciano,^{c)} in quo rhetores ostentaturi eloquentiam declamabant, tradente eodem.^{d)} Sed hoc obiter dicatum sit.

Iam clare tradit Iosephus, aedificationem ad ναὸν et ad περιβόλης pertinuisse: et hos quidem absolutus annis octo, illum anno uno et dimidio: sanctitatis autem, quae esset τῷ ναῷ, eam rationem habitam ab Herode, ut ipse, quamvis aedificator, non ingrederetur locum, dum fieret opus, operis autem vteretur in eo exstruendo solis sacerdotibus, διδάξας τῷ μὲν ὄμοδόμῳς, τῷ εὐέργειᾳ τέτυρον, iubens discere artes, quibus aedificatio constat. At quomodo ναὸν aedificauit? (nam hunc omnium minime volunt totum dirutum, vano quodam, ut videbimus, timore) Id haud ambigue docet Iosephus: καταλύσας τὸ πῶν ἔργον: destrūctō toro aedificio; ne fundamentis quidem relicti: ἀνελῶν τῷ ἀρχάῃς θεμελίῃς, καὶ καταβαλόμενος τῷ εὐέργειᾳ: reuulsis antiquis fundamentis, et aliis positis. An haec vlo modo per confuetudinem perpetuam loquendi Graecorum aliter intelligi possunt, quam volumus? Nam fundamentis reuulsis et sublatis, pristinum aedificium stare per rerum naturam non potest, ad quae eruenda ne peruenire quidem, nisi destrūctō ante aedificio, licet. Καταβολὴ autem θεμελίων nunquam aliter, nisi de aedificii plane noui initus dicitur, vnde et in sacris libris de ιτίσει κόσμῳ ea solemnis formula est. Atque etiam de ipsa aedificatione vtitur verbo ἔγειρειν: quod ex usu Graecorum constante, et analogia omnium linguarum, de nouo aedificio dicitur. Nam et Hebraeis יְרַק eo sensu in Piel usurpatur, Esa. 61, 4. et in Hiphil. Ef. 23,

13. et

c) in Aetione c. 1.

d) in Peregrin. c. 32. vbi vid. notam Mosis Solani.

13, et latinis *surgere* non nisi noua aëdificia dicuntur, vt in illo de Carthagine Virgiliano, *O! fortunatos, quorum iam moenia surgunt*, sexcentisque locis aliis. Nec verbum *κατασκευάσθαι*, in eadem re usurpatum, aliam vim potest habere; quod de plane novo opere dici, tum aliis innumeris locis debet constare, tum notissimo illo de arcae Noachiae aedificatione, Ebr. 9, 7. *κατεσκέυασεν οὐβωτόν*. Denique, si Herodes tantum auctis fundamentis aliquid aedi addere voluisse, ad priorem altitudinem: nam ita capiunt quidam verba Herodis de sexaginta cubitis, templo ad Salomoneam altitudinis mensuram deficientibus, quos se additum dicit: quale illud aedificium futurum fuisset. Non hoc fuisset ἐπιβλημα πάντες ἀγγεῖοι ἐπὶ ιπατίῳ παλαιῷ?

Ad quid fiet vaticinio Aggaei, in quo Christus inducitur praesentia sua illustraturus templum alterum, quod ab reditu Iudeorum ex Chaldaea institutum est? Non ita efficietur templum tertium, vt non nulli, non modo ex Iudeis, sed etiam Christianis voluere, ad nihilumque redigetur argumentum, quod ex eo loco aduersus Iudeorum pertinaciam depromitur? Hoc videntur existimasse, qui fidem Flauianae traditionis in dubium vocarunt: quo maxime solemne est multis descendere in Iosepho, cum se expedire nesciunt: quos recte repudiaueret Cellarius, Crozius, Basnagius. Sed ille timor, ne ita pugnet cum Aggaeo Iosephus, idoneis remediis depelletur. Primum igitur animaduertendum est, id quod iam Grotius monuit, ad Matth. 24. init. non ex ruinis, hostiliter vastato superiori templo, nec totum eodem tempore, sed per partes, dirutum, et restitutum esse; deinde habitam rationem, vt is, qui ἐνδελεχισμὸς a Graeco interprete Danielis dicitur, quasi tu perennitatem sacrificiorum dicas, non interrumpetur, vti magnus Scaliger animaduertit, in immortalis de Emend. Temp. operis Lib. VI. (cuius libri sexti lectionem soleo commendare studiosis, vt remedium multorum errorum, qui-

B

bus

X

bus vulgus tenetur) idque commode poterat fieri, cum ara, in qua
victimae adolerentur, esset sub dio, media inter *vaov* et intimum
περιβολον, nec ad ipsam destructio ceterorum quicquam pertine-
ret. Sed illud relinquebatur, vt ostenderent viri magni, haec
sufficere, vt, in consuetudine loquendi populari, templum ita de-
structum restitutumque a priori non distingueretur, sed nomine
atque appellatione cum eo confunderetur: id quod nobis effi-
ciendum sumsimus. Ei rei autem non modo hoc prodest, ani-
maduersum illud iam aliis, quod Iudaei ipsi, inque his Iosephus,
alterum templum, non tertium a Tito vastatum dicunt, sed etiam,
quod exempla similia e scriptoribus antiquis proferri possunt.
Huius generis illud est, quod apud Tacitum H. III. 24. Antonius,
dux Flauianarum partium, tertiae legionis milites admonet, vt
sub M. Antonio Parthos, sub Corbulone Armenios, nuper Sarma-
tas pepulissent: Si haec ad viuum refecare quis velit, non ita fuere.
Etenim ex iis, qui sub Antonio aduersus Parthos bellauerant, ne-
mo dudum superfuerat. Sed quia legio tertia nunquam neque
tota caesa, neque ignominiae causa dissoluta, et dein tota si-
mul noua facta fuerat, sine vilius offensione aut reprehensione,
ne admirante quidem quoquam aut haerente, tunc quoque ter-
tianis tribuebantur, quae olim sub Antonio duce facta fuerant.
Hierosolyma bina tantum fuisse satis conuenit, et altera esse a
Tito eversa. Atqui eo tempore, quo est deleta vrbs, non cre-
dibile est, vllam reliquam domum fuisse ex iis, quae statim ab
reditu Iudeorum aedificatae fuerant? Altera Roma semper dicta
est, quae post Gallicum incendium fuit, etsi nulla e priscis aedi-
bus residua. Fert enim hoc perpetua omnium linguarum ratio,
vt, quae paullatim, et per partes, cum nulla ante hostili aut in-
cendi vi delata sint, instaurentur, non distinguantur ab iis, quae
ante fuerint, sed pro iisdem habeantur. Nauis ea, qua Theseus
Cretam vectus erat, ad Minotaurum tollendum, saluusque redie-
rat cum suis, conseruata erat ab Atheniensibus, vsque ad Deme-
trii

trii Phalerei tempora, dicebaturque esse eadem, qua Theseus
vñsus fuisset. At qualis illa erat, quomodo seruata? Nempe, ve-
tere vsque materia exempta, et noua immissa; vt Demetrii quidem
aetate ne festiva quidem ex illa vetere restaret. Et tamen vulgo
omnes Thesei nauem dicebant. Soli Philosophi, argutias ca-
ptantes, vt solent, dubitationem mouere, et ne hi quidem serio,
aut consensu; vulgari consuetudine loquendi plus valente diale-
cticorum vanitate, popularem loquendi rationem ad scholae sub-
tilitates reuocantium. ὥστε τοῖς Φιλοσόφοις, inquit Plutarchus ^{e)}
εἰς τὸν ἀνδρευον λόγον ἀμφιδεξύμενον παράδειγμα τὸ πλοῖον ἔναι,
τῶν μὲν, ὃς τὸ άντο, τῶν δὲ ὡς ὃ τὸ άντο διαμένει, λεγόντων.

Sed erunt, qui haec sibi non satisfacere dicant, in hac
certe causa, propter verba hebraica הַבִּתְהָרָרִין, in qui-
bus triplex נ efficiat demonstrationem אַנְגִּלְתֵּה, quae quasi digito
facta, non sinat aliud, quam illud ipsum, quod Aggaeus ob oculos habuerit, aedificium intelligere. Verum huic difficultati ad-
modum facile est occurrere. Primum, vulgare illud de vi רַגְס
נ praeceptum non agnosco: nec poterunt agnoscere, qui vel leui-
ter attendent. Hoc ipso Aggai loco totum dissoluitur. Etenim, si
ista vis est eius literae, dicant mihi magni Grammatici, quo-
modo Aggaeus templum Salomoneum, quod ante tot annos in-
cendio absumtum fuerat, vocare potuerit et ipsum הַבִּתְהָרָרִין
Quis est vestrum, inquit, qui viderit הַרְאֵשׁן Deinde audire velim, quidnam per domum hancce intellexerit Va-
tes, quid istis verbis demonstrauerit? Aedem haud dubie, חִכְל
Ita enim dicunt. At istam aedem Christus non potuit sua praef-
sentia illustrare. Etenim, cum sacerdos non esset, per legem
Mosaicam, quam ille non neglexit, (etenim non impune nullus) ingredi in aedem ipsam non potuit, neque vñquam in ea fuit:

e) in Theseo p. 10.

XII

sed tantum in exterioribus περιβόλοις. Hoc est templum, haec est domus, quam docendo illustriorem vetere reddidit: ut saepe miratus sim, quare difficiles sint non nulli in concedendo, ναὸν a fundamentis aedificatum esse, vbi Christus nunquam fuit, faciles in externis partibus templi, quae sedes propria gloriae eius fuit, quam Christi praesentia et sapientia templo secundo attulit. Cur non has tantum magnificentius exornatas pugnant, ut illud ἡ, iactatam vim suam obtineat. At οἴκοι vocat, οἶκοι, quod de aede, non de περιβόλοις intelligendum videtur. Immo nihil impedit, e consuetudine sacrarum literarum. Cum Christus nūmularios et victimarum venditores eiiceret templo, ab iis, que rebatur, οἶκοι προσευχῆς conuersum in speluncam latronum. At isti homines deuersabantur in porticibus, quae tamen, quia seruire precibus, quas pro se quisque faceret, et similibus rebus, ad sacra pertinentibus, debebant, ac solebant, recte οἶκος προσευχῆς vocantur, et vel maxime intelliguntur.

His breuiter disputatis, arbitror planum factum, quod proposuimus, nihil esse inter Iosephum et Aggaeum dissensionis: et Christum tamen in altero templo docuisse, etsi ab Herode totum nouum factum sit. Haec scripsi subito, inter multas occupaciones, die XVII. Aprilis.

LIPSIAE,
LITTERIS LANGENHEMIIS.

M D C C L I I.



FC 1285

Vol 18

ULB Halle
004 966 066

3



Sb.

nr.





M

PROLVSIO
DE
TEMPLO HERODIS M
AD AGGAEI II. IO. ET IOSEPH. A. I. XV. EXTR.
Q V A
AD
DECLAMATIVNCVLAS V
IN
SCHOLA THOMANA
A. D. XXI. APRILIS H. IX.
AVDIENDAS
PATRONOS ET FAVTORES
INVITAT
RECTOR
I O. A V G. E R N E S T I